

ram, impediatur, ut cum anno 1547 quatrinduo, item anno cæ-
 dis Cæsaris per integrum annum, Sol ferrugineo palliolo sangui-
 neoq; colore suffusus apparuit, quo facto, defœcatione & purga-
 tione opus esse, quam præstet facultas Cœli quasi vitalis, cogen-
 do crassam illam pinguedinem quasi quoddam excrementum in
 quoddam velut apostema, (loquitur metaphoricè, ut solet)
 quod ex naturâ loci lumen postea & motum instar stellæ caden-
 tis aut aëreæ trajectionis accipit, & à Comâ, quam alit, Cometa
 vocatur. Sed hic ulteriùs non immeritò quæritur, unde crassi-
 ties illa Cœli subtilissimam auram quasi depravans proveniat, an
 ex materiâ siderum peristaticâ aëris nostri vicem illic gerente;
 an ex concreatis substantiæ cœlesti partibus impurioribus, ad
 modum nebularum hinc inde per Cœlum, cum primis verò circa
 Solem dispersis, & certo tempore virtute configurationum Solis
 & stellarum in angustius spacium coactis, à Sole illustratis, & ita
 novæ formæ impulsu de loco in locum promotis, usq; dum vir-
 tute radiorum solarium dissolvantur iterum, ac sensim ac sensim
 dissipentur? Prius affirmare videtur Willebrordus Snellius, Co-
 metarum materiam *κατακλιματα* s. ustulationes à Sole vel po-
 tiùs ejus materiâ peristaticâ exsiliantes esse statuens: Sed contra-
 dicit Longomontanus, qui materiam peristaticam ipsis corpori-
 bus & globis, quos circumstat, ita appropriatam esse vult, ut nul-
 lo pacto aliorsum transeat, seu vasto & vacuo cœlo se admisceat,
 cum alioquin corpora mundana interitum minari videantur,
 congenitis sic ab his exclusis, ac in locum eorum heterogeneis
 intromissis. Alii peristases circa sidera planè negant, & hoc ipso
 Snellii sententiam non admittunt. Posterius confirmare viden-
 tur nubeculæ Soli obvolitantes, ejusq; lumen quasi commacu-
 lantes, quas nequaquam stellas, ut Schyrlæus vult, sed materiam
 quandam crassiozem à stellis distinctam, motu vagam, adeoque
 generandis cometis aptam Gassendus & alii demonstrant. Sed
 obstat, quod hæ nubeculæ nunquam à Sole velut avolare, sed in
 orbem continuò circa eum ire, & interdum antequam ad extre-
 mam ejus oram perveniant planè evanescere deprehendantur.
 Nisi quis dicere velit, evanescentes ejusmodi nubeculas non dis-
 solvi, sed à Sole in auram ætheream longius abire visuiq; tan-
 tum nostro sese subtrahere. Quicquid autem sit, sive discedant